

GENEROSIS, NOBILIBVS,
ET AMPLISSIMA DIGNITAT-
TE CONSPICVIS VIRIS ET D. D. PRÆ-
fectis, Consulibus, & Senatoribus Inclytæ Rei-
pub. Augustanæ, Dd. suis ob-
seruandis

ANDREAS LIBAVIVS M. D. P. S.

NVM multis alijs nominibus, Viri illustres, vestra illa Respub-
lica per totum orbem est nobilitata, tum potissimum quod in
omni genere artium & scientiarum præstantissimarum viros
alat insignes, artificesq; admodum præclaros, quos quo vos fo-
ueatis amore studioq; exornetis, non tantum patrocinium o-
stendit amplissimum, sed & confluxus conatusq; plurium, qui ab omni ars-
te excellenter instructi, ad vos se conferre festinant. Itaque facta est Respub-
lica vestra veluti παρδοχέον πανταπάς σοφιας, καὶ πάσοις ἀγετησ οὐγενεῖον, qui-
bus bonis ego quidem delectari possum, excellentius aliquid conferre ne-
queo. Quis autem vetet hoc ipsum quod verbis exprimitur, re contesta-
ri? Offero vobis nouum de CHYMIA librum, & addico, non quod vos
ea disciplina, cuius estis cultores paratiissimi, destituamini, sed ut auctores
defensoresq; eius esse vos constet publicè, idq; consentiat cum iudicio bono-
rum.

Non partem eius artis vobis consecro, sed totam, ab artificibus præ-
stantissimis longo rerum usu inuentam, nondum tamen hactenus in me-
thodicam formam redactam, id quod me conatum esse, quantum DEVS
suppeditauit auxilij, confido, si non præstisti. Sed non est ut pluribus vos de-
tineam. Res ipsa se commendabit ipsam. Plena sunt pulpita vestra præstan-
tissimorum vobis addictorum operum: si iuxta illa huic aliquem concesse-
ritis angulum, satis est. Si quid virtutis inest, id splendebit etiam in tene-
bris. Valete. Rotemburgi ad Tubarim.